

DE CUSTODIA ET EXHIBITIONE REORUM.

1. ULPIANUS, lib. 2, de Officio proconsulis.

De custodia reorum proconsul aestimare solet, utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, vel fidejussoribus committenda, vel etiam sibi. Hoc autem vel pro criminis, quod obijcitur, qualitate, vel propter honorem, aut propter amplissimas facultates, vel pro innocentia personae, vel pro dignitate ejus, qui accusatur, facere solet.

2. PAPIANUS, lib. 4, de Adulteriis.

Si servus capitali crimine postuletur, lege publicorum cavetur, ut sistendum vel ab extero satisfato promittitur: quod si non defendatur, in vincula publica conjici jubeatur, ut ex vinculis causam dicat. — § 1. Solet itaque tractari, an postea domino permittendum sit, oblata satisfactione servum vinculis liberare? dubitationem auget edictum Domitiani, quo cautum est, abolitiones ex senatusconsulto factas ad huiusmodi servos non pertinere. Nam et lex ipsa prohibet eum absolvi, prius quam de eo judicetur. Sed haec interpretatio perdura, periculum severa est in eo, cuius dominus absens fuit, vel quod per inopiam illo momento temporis satisfactionem implere non potuit. Neque enim pro indefenso derelictis recte dici potest, qui dominum praesentem non habuit: vel habuit paratum defendere, pauperem tamen: quod utique facilius admitti poterit, si non post longum temporis spatium hoc desideretur. — § 2. Qui exhibendi postulati sunt, propter aliam causam alterius criminis, quod ante admissum est, rei non recipiantur ex senatusconsulto. Quod in privatis quoque causis, et hominibus sub fidejussore factis observatur: nisi ex hoc temporalis actio in periculum cadat.

3. ULPIANUS, lib. 7, de Officio proconsulis.

Divus Pius ad epistolam Antiochensium graece rescripsit, non esse in vincula conjiciendum eum, qui fidejussore dare paratus est: nisi si tam grave scelus admisisse eum constet, ut neque fidejussoribus, neque militibus committi debeat: verum hanc ipsam carceris poenam ante supplicium sustinere.

4. Idem, lib. 9, de Officio proconsulis.

Si quis reum criminis pro quo satisdedit, non exhibuerit: poena pecuniaria plectitur; puti tamen, si dolo non exhibeat, etiam extra ordinem esse damnamum; sed si neque in cautione, neque in decreto praesidis certa quantitas comprehensa est, ac ne consuetudo ostenditur, qua certam formam habet: praesides de modo pecuniae, qua inferri oporteat, statuet.

5. VENULEIUS [SATURNINUS], lib. 2, de Judiciis publicis.

\* Si confessus fuerit reus, donec de eo pronunciaretur, in vincula publica conjiciendus est.

6. MARCIANUS, lib. 2, de Judiciis publicis.

Divus Hadrianus Julio Secundo ita rescripsit: *Et alias rescriptum est, non esse utique epistolis eorum credendum, qui quasi damnatos ad praesidem remisissent.* Idem de irenarchis praecipuum est: quia non omnes ex fide bona eogia scribere compertum est. — § 1. Sed et caput mandatorum exstat, quo D. Pius cum provincia Asiae praerat, sub edicto proposuit, ut irenarchae: cum apprehenderint latrones, interrogent eos de sociis et receptoribus, et interrogationes literis inclusas atque obsignatas ad cognitionem magistratus mittant. Igitur qui cum egiogio mittuntur, ex integro audiendi sunt, etsi per literas missi fuerint, vel etiam per irenarchas perducti. Sic et D. Pius, et alii principes rescripserunt, ut etiam de his qui requirendi adnotati sunt, non quasi pro damnatis, sed quasi re integra quaeratur, si quis erit qui eum arguat. Et ideo cum quis *ἀναρχίαν*, id est, *questionem seu inquisitionem* faceret, juberi oportet venire irenarchen, et quod scripserit, exequi: et si diligenter ac fideliter hoc fecerit, conlaudandum eum; si farum prudenter, non exquisitis argumentis, simpliciter denotare, *irenarchen minus retulisse;* sed si quid maligne interrogasse, aut non dicta retulisse pro dictis eum compererit, ut vindicet in exemplum, ne quid et aliud postea tale facere moliantur.

Tir. III. — 1. Lib. 9, c. 4. — 2. Lib. 9, c. 5. — 3. L. 25, § 1, supr. de SC. Sian. — 4. L. 16, infr. ad SC. Turpill. — 5. L. 2, c. h. t.; *immo vide* L. 8, § 9, infr. de pign. — 6. *Adde* L. 2, in pr. SC. de exhib. et transitu reis. — 7. L. 15, § 7, infr. de numer. b. — 8. L. un. C. de irenarch. — Lib. 10, tit. 75. — 8. N. 17, c. 14. — 9. N. 17, c. 5. — 10. L. 4, § 5, § 6, infr. de

7. MACER, lib. 2, de Officio praesidis.

Solent praesides provinciarum, in quibus delictum est, scribere ad collegas suos ubi factores [facinosi] agere dicuntur, et desiderare, ut cum prosecutoribus ad se remittantur: et id quoque quibusdam rescriptis declaratur.

8. PAULUS, lib. sing. de Pœnis Militum.

Carceri prepositus si pretio corruptus, sine vinculis agere custodiam, vel ferrum, venenumve in carcerem inferri passus est, officio judicii panielendus est: si nescit, ob negligentiam removendus est officio.

9. VENULEIUS SATURNINUS, lib. 1, de Officio proconsulis.

De militibus ita servatur, ut ad eum remittantur, si quid deliquerint, sub quo militabunt: is autem, qui exercitum accipit, etiam jus animadvertendi in milites caligatos habet.

10. Idem, lib. 2, de Officio proconsulis.

Ne quis receptam custodiam sine causa demittat, mandatis ita cavetur, *Si quos ex his, qui in civitatibus sunt, celeriter, et sine causa solutos a magistratibus cognoveris, vinciri jubebis, et his, qui solverint, multam dices: nam cum scierint tibi quoque molestiae futurum magistratus, si facile solverint victos, non indifferenter de caetero facient.*

11. CELSUS, lib. 57 Digestorum.

Non est dubium, quin, cujuscuque est provinciae homo qui ex custodia producitur, cognoscere debeat is, qui ei provinciae praest, in qua [provincia] agitur. — § 1. Illud a quibusdam observari solet, ut cum cognovit et constituit, remittat illum cum egiogio ad eum qui provinciae praest, unde is homo est; quod ex causa faciendum est.

12. CALLISTRATUS, lib. 5, de Cognitionibus.

Milites si amisserint custodias, ipsi in periculum deducuntur; nam divus Hadrianus Statilio Secundo legato rescripsit, quotiens custodia militibus evaserit, exquiri oportere, utrum nimia negligentia militum evaserit, an casu; et utrum unus ex pluribus, an una plures: et ita demum afficiendos supplicio milites quibus custodiae evaserint, si culpa eorum nimia deprehendatur: alioquin pro modo culpa in eos statuendum. Salvio quoque legato Aquitaniae idem princeps rescripsit: in eum qui custodiam dimisit, aut ita sciens habuit, ut possit custodia evadere, animadvertendum: si tamen per vinum aut desidiam custodis id evenerit, castigandum eum, et in deteriorem militiam dare: si vero fortuito amisserit, nihil in eum statuendum. — § 1. Si paganos evaserit custodia, idem puto exquirendum, quod circa militum personas explorandum retuli.

13. Idem, lib. 6, de Cognitionibus.

In eos, qui, cum recepti essent in carcerem, conspiraverint, ut ruptis vinculis et effracto carcere evadant, amplius quam causa, ex qua recepti sunt, reposcit, constituendum est: quamvis innocentes inveniatur ex eo crimine, propter quod impacti sunt in carcerem, tamen puniendi sunt. Eos vero, qui conspirationem eorum detexerint, relevandos.

14. HERENIUS MODESTINUS, lib. 4, de Pœnis.

Non est facile tyroni custodia credenda; nam ea prodita, is culpe reus est, qui eam ei commisit. — § 1. Nec uni, sed duobus custodia committenda est. — § 2. Qui si negligentia amisserint, pro modo culpa vel castigantur, vel militiam mutant. Quod si levis persona custodiae fuit, castigati restituuntur. Nam si miseracione custodiam quis miserit, militiam mutat: fraudulenter autem si fuerit versatus in dimittenda custodia, vel capite punitur, vel in extremum gradum militiae datur. Interdum venia datur: nam cum custodia cum altero custode simul fugisset, alteri venia data est. — § 5. Sed si se custodia interfecerit vel praecipaverit: militi culpa adscribitur, id est, castigabitur. — § 4. Quod si ipse custos custodiam interfecerit, homicidii reus est. — § 3. Ergo si casu custodia defuncta dicatur, testationibus id probandum est: et sic venia dabitur. — § 6. Solet praeterea amissa culpa custodia, si tamen intenderit eam adprehendi, tempus causa cognita militi dari ad eam requirendam, applicito ei alio milite. — § 7. Quod si fugitivum domino reddendum prodiderit: si facultates habeat, domino pretium reddere juberi, Saturninus probat.

re militi: L. ult. supr. tit. prox. — 11. L. 7, § pen. et ult. supr. de accusat. — L. 5, supr. de offic. praesid. — 12. L. 14, § 1, infr. h. t. — 13. L. 1, in pr. supr. de effractor. — L. 35, § 11, infr. de pœn. — L. 15, § 5, infr. de re milit. — 14. L. 12, in fin. pr. supr. h. t. — 15. L. 12, in pr.

AD LEGEM JULIAM MAJESTATIS.

1. ULPIANUS, lib. 7, de Officio proconsulis.

Proximum sacrilegium crimen est, quod *majestatis* dicitur. — § 1. *Majestatis* autem crimen illud est, quod adversus populum romanum, vel adversus securitatem ejus committitur; quo tenetur is cujus opera dolo malo consilium inimum erit, quo obsides injussu principis interciderent; quo armati homines cum telis lapidibus in urbe sint, convenienter adversus rempublicam; locave occupentur, vel *templa*; quoque coetus conventusve fiat, hominesve ad seditionem convocentur: cujusve opera, consilio, dolo malo consilium inimum erit, quo quis magistratus populi romani, quive imperium potestatemve habet, occidatur; quoque quis contra rempublicam arma ferat: quique hostibus populi romani nuncium literasve miserit, signumve dederit, feceritve dolo malo quoque populi romani consilio jubentur adversus rempublicam: quive milites sollicitaverit, concitaveritve, quo seditio tumultusve adversus rempublicam fiat.

2. Idem, lib. 8 Disputationum.

Quive de provincia, cum ei successum esset, non discessit: aut qui exercitum deseruit, vel privatus ad hostes per fugit: quive sciens falsum conscripsit, vel recitaverit in tabulis publicis; nam et hoc *capite primo* lege *majestatis* enumeratur.

3. MARCELLUS, lib. 14 Institutionum.

Lex 12 tabularum jubet, eum qui hostem concitaverit, quive civem hosti tradiderit, capite puniri. Lex autem Julia *majestatis* praecipit eum, qui *majestatem publicam laeserit, teneri*: qualis est ille, qui in bellis cesserit, aut arcem tenuerit, aut castra concesserit. Eadem lege tenetur, et qui injussu principis bellum gesserit, delectumve habuerit, exercitum comparaverit: quive, cum ei in provincia successum esset, exercitum successori non tradidit: quive imperium, exercitumve populi romani deseruerit: quive privatus pro potestate magistraturae quid sciens dolo malo gesserit: quive quid corum, quae *supra scripta* sunt, facere curaverit:

4. SCAEVOLA, lib. 4 Regularum.

Cujusque dolo malo iurejurando quis adactus est, quo adversus rempublicam faciat: cujusve dolo malo exercitus populi romani in insidiis ductus, hostibusve proditus erit: factumve dolo malo cujus dicitur, quo minus hostes in potestate populi romani veniant: cujusve opera dolo malo hostes populi romani commeatu, armis, telis, equis, pecunia, aliave qua re adjuvi erunt; utve ex amicis hostes populi romani fiant: cujusve dolo malo factum erit, quo rex exteræ nationis populo romano minus obtemperet: cujusve opera dolo malo factum erit, quo magis obsides, pecunia, jumenta hostibus populi romani dentur adversus rempublicam. Item, qui confessum in iudicio reum, et propter hoc in vincula conjunctum emiserit. — § 1. Hoc crimine liberatus est a senatu, qui status imperatoris reprobatus conflaverit.

5. MARCIANUS, lib. 5 Regularum.

Non contrahit crimen *majestatis*, qui status Caesaris vetustate corruptas reficit. — § 1. Nec qui lapide jectato incerto, fortuito statuam attigerit, crimen *majestatis* commisit: et ita Severus et Antoninus Juliano Cassiano rescripserunt. — § 2. Idem Pontio rescripserunt, non videri contra *majestatem* fieri ob imagines Caesaris, nondum consecratas, venditas.

6. VENULEIUS [SATURNINUS], lib. 2, de Judiciis publicis.

Qui status aut imagines imperatoris jam consecratas conflaverint, aliudve quid simile admisserint, lege Julia *majestatis* tenentur.

7. MODESTINUS, lib. 12 Pandectarum.

Famosi, qui jus accusandi non habent sine alia dubitatione admittuntur ad hanc accusationem. — § 1. Sed et milites, qui causas alias defendere non possunt: nam qui pro pace excubant, magis magisque ad hanc accusationem admittendi sunt. — § 2. Servi quoque deferentes audiuntur, et quidem dominos suos, et liberti patronos. — § 3. Hoc tamen crimen a iudicibus non in occasionem ob principalis *majestatis* venerationem habendum est, sed in veritate: nam et personam spectandam esse, an potuerit facere, et an ante quid fecerit, et an cogitaverit,

Tir. IV. — 1. Lib. 9, c. 8; § 3, Inst. de publ. judic. — 2. L. 2, supr. de collegiis. — 3. L. 1, c. de seditio. — 4. *Adde* L. 5, in pr. c. h. t. — 5. L. 4, infr. eod. — 6. L. 28, § 1, infr. de pœnis. — 7. L. 6, § 4, infr. de re milit. — 8. L. 5, in fin. infr. h. t.; L. un. § 1, c. ut omnes iudices. — 8. L. 5, infr. h. t. — 9. L. 2, supr. eod. — 10. *Adde* L. 1, L. 2, c. que res exportari; N. Leon. 63. — 11. L. 6, supr. de custodia. — 12. *Fac. L. 7, supr. de sepulchro viol.* — 13. *Fac. L. 4, supr. de injur.* — 14. L. 4, L. 8, supr. de accusat. — 15. L. 20, in fin. c. qui accusare; L. ult. § 1, c. h. t. L. 35, supr. de judicis. — 16. *Adde* N. 115, c. 5, § 3. —

et an sanæ mentis fuerit; *nec livor* linguæ ad poenam facile *trendendum est*: quamquam enim temerarii digni poena sint, tamen ut insanis illis parcendum est, si non tale sit delictum, quod vel ex scriptura legis descendit, vel ad exemplum legis vindicandum est. — § 4. Crimen *majestatis* facti, vel violati status, vel imaginibus, maxime exacerbat in milites.

8. PAPIANUS, lib. 15 Responsorum.

In questionibus laese *majestatis* etiam mulieres audiuntur: conjuracionem denique Sergii Catilinæ [Julia] mulier detexit, et Marcum Tullium consulem iudicium ejus instruxit.

9. HERMOGENIANUS, lib. 5 juris Epitomarum.

Forum, qui *majestatis* crimine damnati sunt, libertorum bona liberis damnatorum conservari divus Severus decrevit: et tunc demum fisco vindicari, si nemo damnati libertorum existat.

10. Idem, lib. 6 juris Epitomarum.

*Majestatis* crimine accusari potest, cujus ope, consilio, dolo malo provincia, vel civitas hostibus prodita est.

11. ULPIANUS, lib. 8 Disputationum.

Is, qui in reatu decedit, integri status decedit; extinguitur enim crimen mortalitate: nisi forte quis *majestatis* reus fuit; nam hoc crimine, nisi a successoribus purgetur, hereditas fisco vindicatur. Plane non quisquis legis Juliae *majestatis* reus est, in eadem conditione est, sed qui perduellionis reus est, hostili animo adversus rempublicam vel principem animatus: caeterum si quis ex alia causa legis Juliae *majestatis* reus sit, morte crimine liberatur.

AD LEGEM JULIAM DE ADULTERIIS COERCENDIS.

1. ULPIANUS, lib. 4, de Adulteriis.

Hæc lex lata est a divo Augusto.

2. Idem, lib. 8 Disputationum.

Ex lege Julia servatur, ut cui necesse est ab adultero incipere, quia mulier ante denunciationem nupsit, non alias ad mulierem possit venire, nisi reum peregerit: peregerit autem non alias quis videtur, nisi et condemnaverit. — § 1. Marito jure mariti accusanti illa prescriptio obijcitur, *Si legem prodidisse dicatur ob hoc, quod adgressus accusationem adulterii destituit*. — § 2. Lenocinii quidem crimen lege Julia de adulteris prescriptum est: cum sit in eum maritum poena 4 statuta, qui de adulterio uxoris suae quid ceperit; item in eum, qui in adulterio deprehensam retinuerit. — § 3. Caeterum qui patitur uxorem suam delinquere, matrimoniumque suum contemnit, quique contaminationi non indignatur, poena adulterum non infligitur. — § 4. Qui hoc dicit, lenocinio mariti se fecisse, relevare quidem vult crimen suum, sed non est hujusmodi compensatio admissa: ideo si maritum velit reus adulterii lenocinii reum facere, semel delatus non audietur. — § 5. Si publico iudicio maritus uxorem ream faciat, an lenocinii allegatio repellat maritum ab accusatione? et putem non repellere: lenocinium igitur mariti ipsum onerat, non mulierem excusat. — § 6. Unde quaeri potest, an is, qui de adulterio cognoscit, statuere in maritum ob lenocinium possit? Et puto posse. Nam Claudius Gorgus vir clarissimus uxorem accusans, cum detectus est, uxorem in adulterio deprehensam retinuisse, et sine accusatore lenocinio damnatus est a divo Severo. — § 7. Extraneus autem nequam lenocinium obijciens, posteaquam reus factus est, se relevabit, nec maritum poenae subjiciet. — § 8. Si simul ad accusationem veniant maritus et pater mulieris, quem praeferrî oporteat, quaeritur? Et magis est, ut maritus praeferratur: nam et propensiore ira, et majore dolore executionum cum accusationem credendum est: in tantum, ut etsi pater praevenierit, et libellos inscriptionum deposuerit, marito non negligente, nec retardante, sed accusationem parante, et probationibus insituente, atque muniente, ut facilius iudicantibus de adulterio probetur, idem erit dicendum. — § 9. Sed et quotiens alii, qui post maritum et patrem accusare possunt, ad accusandum prosiliunt, lege expressum est, ut is, cuius de ea re notio est, de iusto accusatore constituat.

17. L. un. C. si quis imperatori maledixerit. — 18. L. 6, supr. h. t. — 19. L. 4, supr. de iuro patron. — *immo vide* L. 1, in fin. C. de bonis liberti; L. 5, § 1, c. h. t. — 20. L. 6, supr. de publ. judic. et tit. C. si reus, vel accusator. — 21. L. pen. et ult. c. h. t.

Tir. V. — 1. Lib. 9, c. § 4, Inst. de publ. judic. — 2. L. 17, § 6, infr. h. t. — 3. L. 16, c. eod.; L. 2, infr. ad SC. Turpill. — 4. L. 29, § 5, infr. h. t. — 5. L. 5, in pr. supr. de publ. judic. — *immo vide* L. 15, § 5, infr. c. h. t. L. 47, in fin. supr. soluto matrim. — 6. L. 18, § 7, infr. h. t. — 7. L. 5, infr.; L. 50, c. eod. — 8. d. L. 50. — 9. L. 16, supr. de accusat.

3. Idem, lib. 2, de Adulteriis.

Nisi igitur pater maritum infamem aut arguat, aut doceat, colludere magis cum uxore, quam ex animo accusare, postponetur marito.

4. Idem, lib. 8 Disputatorium.

Si maritus praevenit, accusareque instituerit: tempora non cedunt patri, quo accusationem instituere non potest; sic tamen, ut quodam unus occupet, utriusque tempora cedant: ubi vero maritus occupavit, residua tempora ei, qui occupare non potest, non cedant. Quod et in eo dici potest, qui ab adultero, vel adultera cepit: nam adversus eum, adversus quem non cepit, desinunt ei tempora cedere. Haec in maritis et patribus dicta sunt. — § 1. Extraneis autem, qui accusare possunt, accusandi facultas post maritum et patrem conceditur; nam post sexaginta dies quatuor menses extraneis dantur, et ipsi utiles. — § 2. Si ante extraneus instituerit accusationem, an superveniente marito permittatur accusatio, quaeritur? et magis arbitratur, hoc quoque casu maritum audiendum, si non negligentia praeventus est. Et ideo, et si accusatione instituta, absoluta sit mulier extraneo accusante, tamen marito debet permitti restaurare accusationem, si idoneas causas allegare possit, quibus impeditus non instituit accusationem.

5. JULIANUS, lib. 86 Digestorum.

Nuptam mihi adulterii ream postulari posse in priore matrimonio commissi, dubium non est: cum aperte lege Julia de adulteriis coerendis caveatur, si quidem vidua sit, de cuius adulterio agetur, ut accusator liberum arbitrium habeat, adulterum an adulteram prius accusare malit; si vero nupta sit, ut prius adulterum peragat, tunc mulierem.

6. PAPINIANUS, lib. 1, de Adulteriis.

Inter liberas tantum personas adulterium stuprumque passas lex Julia locum habet; quod autem ad servas pertinet, et legis Aquiliae actio facile tenet, et injuriarum quoque competat; nec erit deneganda praetoria quoque actio de servo corrupto: nec propter plures actiones parcendum erit in hujusmodi crimine reo. — § 1. Lex stuprum et adulterium promiscue et καταχευωτότερον, id est, abusive, appellat; sed proprie adulterium in nupta committitur, propter partem ex altero conceptum composito nomine: stuprum vero in virginem viduamve committitur; quod Graeci φθοράν, id est, corruptionem appellant. — § 2. Filiusfamilias maritus ab eo, qui sui juris est, in ea lege non separatur. Divus quoque Hadrianus Rosiano Gemino rescripsit, et invito patre filium hac lege ream facere posse. — § 3. Maritus, etsi duo reos ex alio crimine habeat, poterit iure viri tertium accusare: quoniam ea causa non credit in numerum ceterarum.

7. MARCIANUS, lib. 10 Institutionum.

Qui pupillam suam dixit uxorem contra senatusconsultum, nec matrimonium est [hoc], et potest adulterii accusari, qui tutor et curator fuit, et infra vicesimum sextum annum duxit uxorem non a patre desponsam vel destinam, vel testamento denominam. — § 1. In lib. 2 de Adulteriis Papinianus Marcianus notat: Incesti commune crimen adversus duos simul intentari potest.

8. PAPINIANUS, lib. 2, de Adulteriis.

Qui domum suam ut stuprum, adulteriumve cum aliena matrefamilias, vel cum masculino fieret, sciens praebuerit, vel quaestum ex adulterio uxoris suae fecerit: cujusque sit conditionis, quasi adulter puniatur. — § 1. Appellatione domus habitationem quoque significari, palam est.

9. ULPIANUS, lib. 4, de Adulteriis.

Etsi amici quis domum praebisset, tenetur. — § 1. Sed et si quis in agro balneoque stuprum fieri praebisset, comprehenditur. — § 2. Sed et si in domum aliquam soliti fuerint convenire ad tractandum de adulterio, etsi eo loci nihil fuerit admissum, verumtamen videtur is domum suam, ut stuprum adulteriumve committeretur, praebuisse: qua sine colloquio illo adulterium non committeretur.

10. PAPINIANUS, lib. 2, de Adulteriis.

Mater autem familias significatur non tantum nupta, sed etiam vidua. — § 1. Mulieres quoque hoc capite legis, quod domum praebuerint, vel pro comperto stupro aliquo acceperunt, tenentur. — § 2. Mulier,

10. Immo vide L. 24, C. h. t. — 41. L. 35, § 8, infr. eod. — 12. L. 25, supr. de injur. — 12. L. 2, supr. de servo corrupto. — 14. L. 34, § 1, infr. h. t. — 15. L. 101, in pr. infr. de verb. sign. — 16. L. 27, infr. h. t. — 17. L. 12, § 2, supr. de accusat. — 18. L. 29, supr. de ritu nupt. — 1. C. de exusat. tut. — 19. L. 66, supr. de ritu nupt. — 20. L. 36, § 6, supr. d. t. — 21. L. 29, § 7, infr. h. t. — 22. L. 10, § 1, infr. eod. — L. 27, in fin. supr. de minor. — 23. L. 1, § 2, supr. de alcatorib. — L. 5, § 2, supr. de injur. — 24. L. 8, supr. h. t. — 25. L. 29, § 2, infr.

quae evitandae poenae adulterii gratia lenocinium fecerit, aut operas suas in scenam locavit, adulterii accusari damnarique ex senatusconsulto potest.

11. Idem, lib. sing. de Adulteriis.

Miles, qui cum adultero uxoris suae pactus est, solvi sacramento deportarique debet. — § 1. Militem qui sororis filiam in contubernio habuit, licet non in matrimonium, adulterii poena teneri rectius dicitur. — § 2. Ea quae inter reas adulterii recepta esset, absens defendi non potest. — § 3. Socer, cum nurum adulterii accusatum se libellis praesidi datis testatus fuisset, maluit accusatione desistere, et lucrum ex dote magis petere: quaeritur, an hujusmodi commentum ejus admitti existimes? Respondit, Turpissimo exemplo is qui nurum suam accusare instituisset, postea desistere maluit, contentas lucrum ex dote retinere, tanquam culpa mulieris dirempto matrimonio: quare non inique repellatur, qui commodum dotis vindicte domus suae praeparare non erubuit. — § 4. Adulterii reum intra quinque annos continuos a die criminis admissi, defuncta quoque muliere, postulari posse palam est. — § 5. Quidam accusare volebat adulterii mulierem, et postulabat, ne sibi computarentur dies, quos in custodiam fecisset; me hoc admittente exitit, qui mihi contradiceret: cujus opinionem an tu probes, rogo maturius mihi scribas? Respondit, Opinione tuam, et verba legis et sententia adjuvant: cui placuit, utiles dies accusatori computandos esse, id est, quibus potuit accusationis solemniam implere: quare sine dubio dies, quibus quis in custodia fuit, extra computationem utilium dierum existimanti tibi constitutos, contradici non debuit. — § 6. Sexaginta dies qui marito accensante utiles computantur, feriatis quoque diebus, si modo facultatem praesidis adeundi accusator habuit, numerari certum est: quoniam de plano quoque libellus dari potest; quod privilegium si amisit, non prohibetur intra alios quatuor menses querelam suam apud iudicem deferre. — § 7. Querebatur, an iure mariti possit accusare vir eam feminam, quae, cum ei desponsa fuisset, alii in matrimonio a patre fuisset tradita? Respondit: Novam rem insituere hujusmodi accusatorem existimo, qui adulterii crimen objicere desiderat propter hoc tantum, quod priori sibi desponsa puella, a patre in matrimonio alii fuerit tradita. — § 8. Defuncto marito, adulterii rea mulier postulat.

§ 9. Quae propter impuberes filium vult dilationem ab accusatore impetrare, an debeat audiri? Respondi, non videtur mihi confingere ea mulier ad justam defensionem, quae etatem filii praetendit ad eludendum legitimam accusationem: nam non utique crimen adulterii quod mulieri objicitur, infanti praedicit, cum possit et illa adultera esse, et impubes defunctum patrem habuisse. — § 10. Volenti mihi ream adulterii postulare eam quae post commissum adulterium in eodem matrimonio perseveravit, contradicendum est. Quero, an iuste responsum sit? Respondit, Ignorare non debuisti, durante eo matrimonio, in quo adulterium dicitur esse commissum, non posse mulierem ream adulterii fieri: sed nec adulterium interim accusari posse. — § 11. Licet ei mulier, qui in suspitione adulterii incidit, nupsisse dicatur, non ante accusari poterit, quam adulter fuerit convictus: alioquin ad hoc vel maxime viri confugient, volentes bene concordatum sequens matrimonium dirimere, ut dicant cum adultero mulierem nuptias contraxisse. — § 12. Mulier cum absentem virum audisset vita functum esse, alii se junxit: mox maritus reversus est: quero quid adversus eam mulierem statuendum sit? Respondit, tam juris quam facti questionem moveri. Nam, si longo tempore transacto, sine ullius stupri probatione, falsis rumoribus inducta, quasi soluta priore vinculo, legitimis nuptiis secundis juncta est: quod verisimile est deceptam eam fuisse, nihil vindicta dignum videri potest; quod si ficta mariti mors argumentum faciendis nuptiis probabitur praestitisse, cum hoc facto pudicitia laboretur, vindicare debet pro admissi criminis qualitate. — § 13. Ream adulterii uxorem duxi: eam damnatam mox repudiavi: quero, an causam dissidii praestitisse videor? Respondit: Cum per legem Juliam hujusmodi uxorem retinere prohibearis, non videri causam te dissidii praestitisse, palam est: quare ita jus tractabitur, quasi culpa mulieris facti divortio.

12. ULPIANUS, lib. 1, de Adulteriis.

Haec verba legis, ne quis posthac stuprum, adulterium facio sciens dolo malo, et ad eum, qui suasit, et ad eum, qui stuprum vel adulterium intulit, pertinent.

eod. — 26. L. 56, supr. de ritu nupt. — 27. Immo vide L. 3, C. de accusat. — 28. L. 54, infr. h. t. — L. 1, § 10, infr. ad Sc. Turpill. — 29. L. ult. infr. h. t. — 30. L. 21, C. eod. — L. 1, supr. de divers. temporal. praescr. — 31. L. 6, T. h. t. — 32. L. 41, infr. eod. — 33. L. 26, infr. L. 1, cum Auth. seq. C. eod. — 34. L. 40, in pr. infr. eod. — 35. N. 17, c. 11. — 36. Arg. L. 1, § 2, supr. de vi et vi armat.

13. Idem, lib. 2, de Adulteriis.

Si uxor non fuerit in adulterio, concubina tamen fuit: iure quidem mariti accusare eam non poterit, quae uxor non fuit: iure tamen extranei accusationem instituere non prohibetur: si modo ea sit, quae in concubinato se dando, matronae nomen non amisit, ut puta quae patroni concubina fuit. — § 1. Plane sive iusta uxor fuit, sive iniusta: accusationem instituere [vir] poterit; nam et Sextus Caecilius ait, Haec lex ad omnia matrimonia pertinet: et illud Homericum adfert, nec enim soli [inquit] Atridae uxores suas amant.

Ὁ μόνος φίλους ἀλογῶς μερόπων ἀνθρώπων ἄρρειδάι.

Id est,

Non soli amant uxores diversivocorum hominum Atridae

§ 2. Sed et in ea uxore potest maritus adulterium vindicare, quae vulgaris fuerit: quamvis, si vidua esset, impune in ea stuprum committeretur. — § 3. Divi Severus et Antoninus rescripserunt, etiam in sponsa hoc idem vindicandum: quia neque matrimonium qualecunque, nec spem matrimonii violare permittitur. — § 4. Sed etsi ea sit mulier, cum qua incestum commissum est; vel ea quae, quamvis uxoris animo haberetur, uxor tamen esse non potest: dicendum est iure mariti accusare eam non posse, iure extranei posse. — § 5. Iudex adulterii ante oculos habere debet, et inquirere, an maritus pudice vivens, mulierem quoque bonos mores colendi auctor fuerit? periniquum enim videtur esse, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibeat: quae res potest et virum damnare, non rem ob compensationem mutui criminis inter utrosque communicare. — § 6. Si quis uxorem suam velit accusare, dicatque eam adulterium commississe, antequam sibi nuberet: iure viri accusationem instituere non poterit: quia non, cum ei nupta est, adulterium commisit. Quod et in concubina dici potest, quam uxorem quis postea habuit: vel in filiafamilias, cujus conjunctioni pater postea concessit. — § 7. Si quis plane uxorem suam, cum apud hostes esset, adulterium commississe arguat, benignius dicitur, posse eum accusare iure viri: sed ita demum adulterium maritus vindicabit, si vim hostium passa non esset; ceterum quae vim patitur, non est in ea causa, ut adulterii vel stupri damnetur. — § 8. Si minor duodecim annis in domum deducta adulterium commiserit, mox apud eum etatem excesserit, coeperitque esse uxor: non poterit iure viri accusari ex eo adulterio, quod ante etatem nupta commisit; sed vel quasi sponsa poterit accusari ex rescripto divi Severi, quod supra relatam est. — § 9. Sed et si qua repudiata, mox reducta sit, non quasi eodem matrimonio durante, sed quasi alio interposito: videndum est, an ex delicto quod in priore matrimonio admisit, accusari possit? et puto non posse: abolevit enim prioris matrimonii delicta, reducendo eam. — § 10. Idem dicendum est, si stupro velit accusare eam, quam postea duxit uxorem: sero enim accusat mores, quos uxorem ducendo probavit.

14. SCEVOLE, lib. 4 Regularum.

Is cujus ope, consilio, dolo malo factum est, ut vir, feminare in adulterio deprehensa, pecunia, aliave qua pactioe se redimerent, eadem poena damnatur, quae constituta est in eos qui lenocinii crimine damnantur. — § 1. Si vir infamandae uxoris suae causa adulterum subjecerit, ut ipse deprehenderit: et vir et mulier adulterii crimine tenentur ex senatusconsulto de ea re facto. — § 2. Marito primum, vel patri eam filiam, quam in potestate habet, intra dies sexaginta divortii: accusare permittitur, nec ulli alii in id tempus agendi potestas datur: ultra eos dies neutrius voluntas expectatur. — § 3. Iure mariti qui accusant, calumniae periculum non evitant.

15. ULPIANUS, lib. 2, de Adulteriis.

Si maritus sit in magistratu, potest praeveniri a patre; atqui non oportet: et putat Pomponius debere dici, quod maritus magistratum gerit, patris quoque accusationem impediendum, ne praeripatur marito jus, quod cum eo aequale habet; igitur non cedent sexaginta dies patri, cum accusare non potest. — § 1. Legis Juliae de adulteriis capite septimo ita cavetur, ne quis inter eos referat eum qui tum sine devectione reipublicae causa aberit: neque enim aequum visum est, absentem reipublicae causa inter reos referri, dum reipublicae operatur. — § 2. Necessario adijcitur sine devectione; ceterum si quis evitandi criminis id egit, ut reipublicae causa abesset, nihil illi commentum hoc proficiat.

37. L. 41, § 1, supr. de ritu nupt. — L. 1, supr. de concubin. — 38. Obs. L. 22, C. h. t. — 39. 28, infr. h. t. — 40. § 1, supr. h. t. — 41. L. 6, supr. de sponsal. — 42. L. 2, § 4, supr. h. t. — 43. L. 7, C. eod. — 44. L. 29, in pr. infr. — 45. L. 4, supr. de ritu nupt. — 46. § 5, supr. h. t. — L. 7, C. h. t. — 47. L. 9, supr. de negot. L. 47, supr. soluto matrim. — 48. L. 32, in fin. infr. h. t. — 49. L. 2, § 3, supr. — L. 50, C. eod. — 50. L. 11, § 6,

— § 5. Quod si quis praesens sit, vice tamen absentis habetur, ut puta qui in vigilibus vel urbanis castris militat: dicendum est, deferri hunc posse; neque enim laborare habet, ut se representet. — § 4. Et generaliter dicendum est eorum demum absentiam excusatam esse, qui in alia provincia reipublicae causa absunt, quam in ea in qua defuerunt. Proinde si quis in provincia, in qua agit, adulterium commiserit, accusari poterit: nisi sit ea persona, quae ad praesidis cognitionem non pertinet. — § 5. Si negaverint se pater et maritus accusatos intra diem sexagesimum: an statim incipiant tempora extraneo cedere? Et primus Pomponius putat admitti ad accusationem extraneum posse statim atque isti negaverint: cui assentiendum puto: fortius enim dicitur, eum, qui se negaverit acturum, postea non audiendum. — § 6. Lex Julia de adulteriis specialiter quosdam adulterii accusare prohibet: ut minorem annis xxv; nec enim visus est idoneus accusator qui, nondum robustae aetatis est; quod ita verum est, si non matrimonii sui injuriam exequatur: ceterum si suum matrimonium vindicare velit, quamvis iure extranei ad accusationem veniat, tamen audietur: nec enim ulla praescriptio objicit suam injuriam vindicanti. Sane si juvenali facilitate ductus, vel etiam fervore aetatis accensus, ad accusationem prosiliit: accusanti ei non facile calumniae poena irrogabitur. Minorem xxv annis etiam eum accipimus, [ut] qui vicesimum quintum annum aetatis agit. — § 7. Praescriptiones quaerit obici solent accusantibus adulterii, ante solent tractari, quam quis inter eos recipiatur: ceterum posteaquam semel receptus est, non potest praescriptionem objicere. — § 8. Si in viduitate mulier perseverat, in accusatoris est arbitrio, a quo velit incipere, utrum ab adultero, an ab adultera. — § 9. Si quis et adulterum et adulteram simul delitit, nihil agit: poteritque, quasi neutrum detulerit, rursus a quo velit, initium facere; quia nihil agit prima delatione.

16. Idem, lib. 1, de Adulteriis.

Qui uxori repudium miserit, post ei denunciare, ne Seio nuberet: et si denunciaverit, et ab ea incipere potest.

17. Idem, lib. 2, ad legem Juliam de Adulteriis.

Denunciante qualiter accipiamus? utrum ad iudicem, an vero simpliciter? ego, etsi non denunciavit ad iudicem, sufficere credo si adulterii acturum denunciaverit. — § 1. Quid ergo, si non quidem denunciavit, verum libellos accusatorios dedit, antequam nuberet? eaque cum id cognovisset, nupsit vel ignorans? Puto non videri ei denunciatum: idcirco non posse accusatorem ab ea incipere. — § 2. Quid ergo, si tantum denunciavit, ne nuberet, sed non addidit quare? num recte nupsisse videatur? sed melius est illud sequi, ut ejus denunciatio videatur electionem accusatori reservare, qui crimen denunciavit: omnino igitur si fecit adulterii criminis commemorationem in denunciatione, etsi iudicem non monstravit, magis putamus mulierem, quasi denunciationem praeserit, posse accusari. — § 3. Quid tamen, si specialiter, cum quo adulterium fecerit, denunciatione complexus est, mox velit eam ex alterius persona accusare? magis est, ut non debeat audiri, neque enim crimen, quod denunciavit, objicit. — § 4. Sed etsi per procuratorem denunciaverit, puto posse eum accusationem, si velit instituere: sufficereque procuratorem denunciationem. — § 5. Ergo etsi per actores denunciaverit, id est, per servum dominum denunciaverit: rata erit denuncatio. — § 6. Quae sit, an alius adulterum, alius adulterum postulare possit: ut quamvis ab eodem ambo simul postulari non possint, a diversis tamen singuli possint? Sed non ab re est hoc probare, diversos accusatores admitti posse: dum si ante denunciationem nupsit, prior mulier accusari non possit. Expectabit igitur mulier sententiam de adultero latam. Si absolutus fuerit, mulier per eum vincet, nec ultra accusari potest. Si condemnatus fuerit, mulier non est condemnata, sed aget causam suam: fortassis et obtinere, vel gratia, vel justitia, vel legis auxilio possit. Quid enim, si adulter inimicitiis oppressus est, vel falsis argumentis, testibusque subornatis apud praesidem gravatus: qui aut noluit, aut non potuit provocare? mulier vero iudicem religiosum sortita, pudicitiam suam defendet. — § 7. Sed si antequam condemnatur,

18. MACER, lib. 1, de publicis Judiciis.

Vel antequam cum eo agi coeperit,

19. ULPIANUS, lib. 2, ad legem Juliam de Adulteriis.

Adulter diem suum obierit: constitutum est, etiam mortuo adultero, sine praescriptione mulierem posse accusari. — § 1. Sed etsi non mors, sed poena alia reum subtraxerit, adhuc dicimus, posse ad mulierem ve-

supr. — L. 6, C. eod. — 51. L. 29, § 5, L. 30, § 1, infr. eod. — 52. Immo vide L. 57, § 1, supr. de minor. — 53. L. 12, in pr. supr. de accusat. — 54. L. 14, § 9, supr. de edil. edict. — L. 2, infr. ad Sc. Turpill. — 55. L. 2, § 4, in fin. supr. h. t. — 56. L. 5, supr. eod. — 57. L. 32, § 4, L. 59, § 6, infr. — L. 8, C. eod. — 58. L. 14, L. 28, C. eod. — 59. L. 2, in pr. supr. — L. 59, § 5, infr. — L. 14, C. eod. — 60. L. 12, C. eod. — 61. Adde L. 11, § 4, supr. eod.